

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In feria II. paschatos

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

# In FERIA II. Paschatos.

*Evangelium Luc. 24. v. 13. --- 35.*

## EXORDIUM.

**A**pparuit olim Filius Dei Abrahamo in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei, in comitatu duorum Angelorum. Quos cum vidisset, currit in occursum eorum, & adoravit in terram & dixit: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Diver- tit igitur Dominus apud ipsum, nec modò manifestavit ipsi, quid Sodomis facere vellet: sed repetit quoque eidem promissionem, de benedicto semine mulieris, in quo benedicendæ sint omnes nationes terræ, Gen. 18. v. 1. seqq.

Hæc historia non inconcinne cum hodierno Evangelio comparari potest. Sicut enim is, qui Abrahamum accedebat, erat Filius Dei, unde expressè Jehova ille dicitur: apparebat autem in specie humanâ: Ita etiam æternus Dei filius ad nos descendit, inque servi forma in hoc mundo circumivit, Phil. 2. v. 7. Ibi in specie tantum hominis conspiciendum se præbebat, cum homo tamen non esset: *hic vero non nuda species est, sed ipsa hominis essentia*; Velut enim pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, Hebr. 2. v. 14.

Abraham in itinere ipsum non agnoscebat, sed tres exules, à Cainitis propulso, esse autumabat, hinc Epistola ad Hebræos de eo dicit, quod infcius angelos exceperit hospitio, Hebr. 13. v. 2.

*De ornam  
Cainitas  
Forte  
Cainitas  
ponere volu-  
it; nam Cainitas  
est delictis pierant.*

Ita in prælecto Evangelio, discipulis ad Emaus euntibus *in forma viatoris* apparet, ideoque non agnoscebant ipsum, sed putabant esse quendam *ex alienigenis*, qui è variis locis Hierosolymam in festum Paschatos confluebant, donec in diversorio se ipsis manifestavit, & cognoverunt eum in fractione panis.

Ibi Filius Dei apud Abrahamum diver- tens, duas res gerit:

1. *Saram corripit*, quia riserat in ostio tabernaculi, quòd Dominus dixerat, Saram post revolutionem anni, filium habituram esse, dixit enim ad Abraham: Quare risit Sara, nunquid Deo quicquam difficile est?

2. *Abrahamum instruit*, quæ ratio esse debeat filii nascituri, quod nimirum in eo omnes nationes terræ benedicendæ sint, h. e. quod filius Dei in plenitudine temporis humanam naturam assumere, in eaque pati, mori & resurgere debeat, ut per hæc beneficia generi humano benedictionem promereretur.

Ita Christus duos hosce Discipulos Emauticos

1. *Corripuit*, propter incredulitatem, dicens: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?

2. *Instruit*: Incipiens enim à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omni-

omnibus scripturis, quæ de ipso erant, nec dubitandum, quin hic promissio de benedicto semine mulieris præcipua fuerit.

Nos sine ulteriori præloquio ipsam Evangelium accedemus, meditaturi ex eodem:

I. Ἀνθρῶπολογίαν sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογίαν, sive *notitiam Christi.*

J.J.

### Exegesis.

Quemadmodum mulier primitus peccavit, & prævaricationem introduxit, 1. Tim. 2. v. 14. Ita etiam resurrectio Servatoris nostri iisdem primùm revelata & manifestata fuit, ut ex hæsterno Evangelio pluribus audivimus.

Verùm in prælecto Evangelio alia nobis manifestatio describitur, quomodo idem ille Servator in forma viatoris duobus discipulis Emaunticis apparuerit. Principiò oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Postquam verò iisdem scripturam exposuit, & multa illa vaticinia Mosis & Prophetarum explicuit, hospitium cum ipsis ingressus & ex pane, modo sibi aliàs confveto, fracto, agnitus, evanuit ex oculis eorum.

Quod si hinc Ἀνθρῶπολογίαν sive *notitiam nostri*, perdiscere velimus, spectemus:

I. *Paschale colloquium.* Loquebantur enim ipsi ad invicem, de omnibus his, quæ acciderant. Nempe de passione & morte Christi, sicut & de novellis, quod ex morte Servatoris resurrexisset, sicut mulieres nunciaverant.

Hic *remetipsum in examen voca, utrum & ipse cum domesticis tuis, ejus-*

*modi conversationem & colloquia institueris?*

Hoc ipsa rei æquitas tempore hoc paschali, sicut & officium nostrum, requireret. Sicut enim ex fructu deprehenditur, quàm diligenter hortulanus arborem curaverit: sic ex sermone hominis intelligitur, quomodo cor sit dispositum, Sir. 27. v. 7. Verùm plerumque parum observatur. Stultiloquium & scurrilitas plurimis arri- dent, Eph. 5. v. 4.

Hoc vero nefas est à Christianis ita fieri. Tempori potius inservientes *non loquamur blasphemias*, sicut Rabfaces, 2. Reg. 18. v. 28. Neque sermo sit *de voluptatibus carnalibus*, sicut Holoferni cum eunucho suo dicenti: Fœdum est apud Assyrios, si fœmina irrideat virum agendo, & immunis ab eo transeat, Judith. 12. v. 11. Nec disse- ramus, *quomodo genio indulgeamus*, sicut Epicuræorum vox est: Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, Sap. 2. v. 6. & seqq.

Ejusmodi colloquia omnia improbanda sunt, & corrumpunt bonos mores, 1. Cor. 15. v. 33. quorum strictissima ratio die novissimo exigetur, Matth. 12. v. 36. Multò satius est, si festivitate hæc sedulò ad eum Domini frequentemus, & verbum Dei audiamus, sic enim occasionem capiemus illud quoque liberis nostris acuendi, Dent. 6. v. 7. ut à puero sacras literas discant, 2. Tim. 3. v. 15. & veram pietatem imbiban, quæ ad omnia utilis est, habetq; promissionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8.

II. *Cor anxium.* Cum enim Christus Discipulis Emaunticis appropinquaret, dicens ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus

grinus es in Hierusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in illâ, his diebus? Christus ulterius sermonem eorum eliciens, interrogat: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo, & omni populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. Et nunc super hæc omnia dies tertia est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ diluculo fuerunt ad monumentum: & non invento corpore ejus venerunt, dicentes: se etiam visionem Angelorum vidisse: qui dicant eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt: ipsum verò non viderunt.

Hæc ita discipulorum horum sollicitudo & scrupulus fuit. Verùm hoc ipso incredulitatem suam prodiderunt, quod magis nitantur iudicio rationis, quam perspicuâ promissione, quam ex ore Christi identidem audiverant, quod quidem pati & mori, sed & tertiâ die resurgere velit. Propterea quoque reprehendit illos Christus, inquam: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti sunt Propheta.

*Hic proba te, mi Christiane! annon & ipse quandoque per incredulitatem hoc modo peccaveris, quod ratione nimium inhians, verbum & promissiones DEI in dubium vocaveris?*

O dilecti! adhuc hodie stulti & tardi corde inveniuntur, qui mysteria fidei ratione suâ metiuntur, aut aliâ præconcep-

opinionibus fascinati sunt, ut detorqueant scripturas ad ingenium suum, 2. Petr. 3. vers. 16. & cœlestem sapientiam justificent, Luc. 7. v. 35. Imprimis in Articulis, de Trinitate, de Personâ Christi, & de cœna Domini: verùm putantes se sapientes, stulti fiunt, Rom. 1. v. 22. stultam siquidem fecit Deus sapientiam hujus mundi, 1. Cor. 1. v. 20.

*Quanta miracula in natura sunt, quæ ad rationem revocata, cum eâ non consentire videntur? Et tamen quia experientia illa probat, credenda sunt, licet omnium hominum rationi adversa esse videantur. Quod si igitur naturæ in naturalibus credimus; quidni magis Deo in divinis credemus, Omnis enim creatura ad suum genus, denuò refiguratur, deserviens ejus præceptis, Sap. 19. v. 6.*

*Aqua natura est, ut fluat. Verùm cum Deus per mare rubrum, & deinde per Jordanem Israëlitas ducere vellet, quasi murus à dextrâ eorum & levâ erat, ut per medium ficci maris ingrederentur, Exod. 14. v. 22. Jos. 3. v. 16.*

*Solis & lunæ natura est, ut veloci cursu moveantur: Verùm cum Josua adversus Amorrhæos pugnaret, cursum suum sistere tenebantur, Jos. 10. v. 12. 13. ut una dies esset, quasi duo, Sir. 46. v. 5.*

*Ignis proprietas est, ut omnia, quæ corripit, comburat, & in cinerem redigat. Cum verò Sadrach, Mesach & Abed-Nego socii Danielis in fornacem ardentem abjicerentur, Deus vim ejus inhibuit, ut ne capillus quidem adureretur, Dan. 3. v. 21.*

*Ferri proprietas est, ut fundum petat. Verùm ad verbum Domini, per Elisam locutum, super aquam illud natavit, 2. Reg. 6. 6. Vide-*

Videte dilecti ! ita Deus naturæ alligatus non est : sed omnia, quæcunque vult, facit, in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, Pſal. 132. v. 6. ideoque non diffidere ipsi, aut modum iuvandi præscribere debemus, si mediâ naturalia non appareant, sicut eques Samaritanus ejusmodi ingenio fuit, 2. Reg. 7. v. 2.

Hoc modo enim omnipotentia Dei derogatur, quæ tamen tanta est, ut neque unum deficiat, Esa. 40. v. 26.

Nos proinde cautè incedentes, in hujusmodi rebus Deo gloriam demus, plenissimè scientes, quia, quæcunque promissit, potens est facere, Rom. 4. v. 21. Zach. 8. v. 6.

III. *Ultimum votum.* Appropinquaverunt enim castello, quod ibant: & ipse se finxit, longius ire. Et coegerunt ipsum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est dies. Et intravit, ut cum eis maneret.

*Nobis quoque Dilecti ! advesperascit, & inclinata est jam dies.*

*Advesperascit in Choro,* ratione hæreticorum & Pseudo-prophetarum, quos diabolus catervatim ablegat, quorum unus ait: hic est Christus, alius: ibi est, Matth. 24. v. 23. idque tanto clamore urgent, ut simplices confundantur, sicut Galatæ, Gal. 5. v. 6. & læpè salutis naufragium faciant, 1. Tim. 1. v. 19. Unde sat causæ nobis est, cum Davide precandi: Defecit sanctus &c. Pſal. 12. v. 1.

*Advesperascit in Foro.* Romanum Imperium non amplius tantâ autoritate, viribus, potentia & Majestate pollet, quantâ tempore Julii Cæsaris, & postea usque ad Trajanum, ubi ferreum planè erat, omnia alia regna committuens: sed nititur jam infirmis pedibus, quorum quædam pars fer-

rea, quædam verò fictilis est; ut non dubitandum, quin invictissimus Imperator Jesus Christus, brevi cum ultimo suo adventu irrupturus, & Romanum imperium aboliturus, contra verò aliud regnum suscitaturus sit, quod in æternum stabit, Dan. 2. v. 44.

*Advesperascit quoque in Toro.* Non enim est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, Ol. 4. v. 1. filius pro stulto habet patrem, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus sororum suam, Mich. 7. v. 6. Hinc finem intare, facile constat. Ipse siquidem Servator ait: Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur, Luc. 11. v. 17. Et ut quod res est dicamus, quocunque oculos & animos intendimus, ultima tempora adesse, colligimus, id quod omnia elementa probant.

Sol aureus non amplius  
Spectare vult per-aaxius,  
Amittit hinc lucem suam,  
En! maximam molestiam,  
En! maximam molestiam,  
Signum diei hoc ultimi!  
Mœrore luna & sidera  
Turbantur & sunt tristia,  
Se liberari gestiunt,  
Dum vanitati serviunt,  
Signum diei hoc ultimi!

Die liebe Sonne kan nicht mehr  
Zusehen / und entsetzt sich sehr/  
Darum verliert sie ihren Schein/  
Das mag ein grosse Trübsal seyn/  
Das ist ein Zeichen vor dem jüngstē tag.  
Der Mond und Sternen ängsten sich/  
Und ihr Gestalt siht jämmerlich/  
Wie gern sie wolten werden frey/  
Von solcher grossen Büber ey/  
Das ist ein Zeichen vor dem jüngstē tag.

Sff

Optan-

Optandum igitur foret, multos esse, qui Christum assiduè precibus sollicitarent, piè cum Ecclesia orantes: Excita Domine corda ad præparandas unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus serviamus; & cum Discipulis Emaunticis:

Vespera jam venit, nobiscum Christe  
maneto:

Extingui lucem, ne patiare, tuam.

Hoc si fecerimus, Christus nobiscum manebit, sicut discipulorum horum precibus annuit. Voluntatem enim timentium se, facit, & clamorem eorum exaudit, & salvos facit eos, Psal. 145. v. 19.

Quod si verò Christum nobiscum habeamus, nihil nostrà refert, si advesperascit, quia tenebræ non obscurabunt nos, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus, Psal. 139. v. 12. Quinimò

Sit plenus orbis Dæmonum,  
Qui nos vorare tendant:  
Timebimus non admodum,  
Nobis trophæa pendant.  
Princeps in orbe,  
Ringat furore:  
Nihil nocebit,  
Nam judicatus is,  
A verbulo peribit.

Und wann die Welt voll Teuffel wâr/  
Und wolten uns verschlingen /  
So fürchten wir uns nicht so sehr /  
Es sol uns wol gelingen:  
Der Fürst dieser Welt /  
Wie sauer er sich stellt /  
Thut er uns doch nicht /  
Das macht er ist gericht /  
Ein Wörtlein kan ihn fällen.

### De Secundo.

PROgrediemur nunc ad alteram partem, <sup>Christi</sup> sive <sup>notitiam</sup> Christi contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præfente commendatur:

I. *Tanquam peregrinus & viator.* Non enim in forma propria discipulis hisce apparet, aliàs enim facile agnovissent: sed ut viator, qui iter longum habeat expediendum, quo ipso innuere voluit, se fore cum Ecclesia omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, Matth. 28. v. ult. non verò in Majestate & claritate suâ, sed *sub formâ peregrinâ*, contactus pallio verbi & sacramentorum. Neque enim nos Majestatem ejus ferre possemus, sicut nec Israëlita: Mosis faciem intueri poterant, ratione splendoris, quem de monte Sina attulerat, Exod. 34. v. 33. Ideo imbecillitati nostræ accommodat se, & agit nobiscum per homines nobis similes, Jac. 5. v. 17. qui habent thesaurum Evangelii in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis Dei sit, & non ex nobis, 2. Cor. 4. v. 7. Et tamen rectè dicitur: Qui vos audit, me audit, Luc. 10. 16.

Quando itaque in locum confessionis venis, & vides tibi mortalem tibi dicentem: Confide fili! confide filia! remissa tibi sint peccata tua, Matth. 9. v. 2. Cave offendaris in forma peregrina, sed firmiter persuade tibi, ipsum Christum hæc præsentem, & per verbi ministrum efficacem esse. Quæcumque enim solveritis super terram, erunt soluta & in cælo, Matth. 18. v. 19.

Similis ratio est prædicationis, Baptismi & Cœnæ, quæ omnia coram mundo abjecta videntur, & tamen Deus virtute suâ ea ornavit, ut qui *media hæc salutariter usurpat,*

pat, per ea justificetur & salvetur. Quod enim predicationem attinet de Jesu Nazareno crucifixo, ea juxta Paulum, Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, & tamen placuit Deo per stultitiam predicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21. 23. Sic multi sunt, qui baptismi vim despiciunt, dicentes: qui manus aquæ plena, hominem à peccatis mundare valebit. Sed quid aliud faciunt, quàm quod consilium Dei adversus seipsum spernant, Luc. 7. v. 30. Salvos enim nos facit Deus, per lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. 3. v. 6. seqq.

Sunt quoque, qui testamentum Christi in dubium vocantes, credere nolunt, quod nobis corpus & sanguinem suum exhibere possit ad edendum & bibendum, quia nuda symbola panis & vini, oculis vident. Hi offenduntur in peregrina Christi forma, nec perpendunt, quod hic per fidem ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7. Ideò caveant, ne Christus planè illis evanescat, ut hic discipulis evanuit: Beati enim, qui non vident, & credunt, Johan. 20. vers. 29.

Imprimis verò egregia consolatio paschalis hic nobis advertenda est. Accidit aliquando, ut Christus tribulationis tempore, quasi peregrinum se simulet in terrâ, Jerem. 14. v. 9. nec respiciat fideles suos, sicut tempore Gideonis, ubi Israëlita à Midianitis ita angustiabantur, ut Gideon putaret, Dominum reliquisse eos, Ubi dicebat, sunt omnia mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian, Jud. 4. v. 22.

Verùm nolite animum abjicere, dilecti! neque enim ex ira Dominus hoc facit, sed ut matercula quandoque à puero se abscondit, quò videat, quid ille agere velit, & an se verè diligat: Ita & Christus quandoque dicto eleganti se includit, & expectat, dum illum inveniamus, ibi conturbantur visera ejus super nos, miserans miseretur nostri, Jer. 31. v. 20. Thren. 3. 2, 33.

II. *Tanquam errantium revocator.* Apparet enim discipulis hisce Emaunticis, ut fidelis pastor, qui si ex centum ovibus unam perdidit, nonaginta novem in deserto dimittit, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam, Luc. 15. v. 1.

Hoc adhuc hodie facit pietissimus Servator, quando cum Discipulis hisce in magnam animi perurbationem & moestitiam incidimus, nescientes, quomodo Deus in nos affectus sit, dum nos tamdiu in afflictionibus relinquit. Videtur nobis Christus mortuus esse, cujus auxilium desperatum sit. Hic per præcones verbi sui nos instruit, non posse aliter fieri: sed si convivere velimus, commoriendum nobis; si conregnare, sustinendum nobis esse, 2. Tim. 2. v. 11. Hoc ita decreto Dei consentaneum est: Multæ tribulationes justorum, Psalm. 34. vers. 10. Tob. 12. vers. 13. Act. 14. v. 22.

Ideoque optimum est, ut in tempore nos ad crucem præparemus, sili præpara animum tuum ad tentationem, Sir. 2. vers. 1. seqq.

Quando verò in Articulis fidei titubamus, aut in vias curvas peccatorum abducimur, Psalm. 125. v. 5. aut in viam spaciosam, quæ ducit ad perditionem, Matth.

7. v. 11. Iterum ipse clamat: State super vias, & videte, Jerem. 6. v. 16. Qui igitur per pœnitentiam ad Dominum redibit, non expers auxilii relinquetur, neminem enim, qui venit ad se, ejiciet Dominus foras, Joh. 6. v. 37. Qui verò pertinax est, spernit consilium Dei adversus seipsum, Luc. 7. v. 30. & in gehennam se præcipitat. Qui enim non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit, Luc. 11. v. 23. Propterea identidem cum Davide ingemiscamus ad Dominum: Vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna, Psal. 139. v. ult.

III. *Tanquam optimus scripturarum Enucliator.* Incipiens enim à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturas, quæ de ipso erant.

Hoc facile ille facere potuit, in ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, Col. 2. v. 3. præterea & Doctor eruditæ linguæ est, Esa. 50. v. 4. qui clavem Davidis habet, & aperire librum potest, signatum sigillis septem, Apocal. 5. vers. 1.

Quemadmodum igitur Christus ex Mose & Prophetis, incarnationem, passionem, mortem, & resurrectionem suam his duobus discipulis ex scriptura probavit: Ita adhuc hodie scripta Mosis & Prophetarum nobis commendata habeamus, Scrutamini scripturas, ait Servator, illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me, Johan. 5. vers. 39.

*Errant igitur illi, qui Divinitatem Christi, ut & mysterium Trinitatis ex Veteri Testamento probari non posse, statuunt.* Nonne enim Philippus Camerarium Regina Candaces Æthiopum, ex Veteri Testa-

mento convicit, ut Christum agnoverit? dicens: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum, Act. 8. v. 37. Nonne Apollo, qui fuit vir eloquens, & potens in scripturis, vehementer Judæos revicit, publicè ostendens per scripturas, esse Christum Jesum, Act. 18. v. 24. 28. Nonne Paulus post conversionem confudit Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quod Jesus esset Christus, Act. 9. v. 22. Jesus Christus enim heri & hodie, idemque etiam in secula, Hebr. 13. v. 9.

Fideliter itaque Mosen & Prophetas nobis commendatos habeamus, ne despiciamus illos, velut dives Epulo, Luc. 16. v. 29. sed diligenter scrutemur illorum scripta, Joh. 5. v. 39. superædificantes super hoc fundamentum fidem nostram, Eph. 2. v. 20. & firmiter consistemus, ne portæ inferorum prævaleant adversus nos, Matth. 16. v. 18. sed indes in agnitione Dei & filii ejus Jesu Christi proficiemus, donec reportabimus finem fidei nostræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9. Subsistemus in Cantico ecclesiæ:

Est præ meo tuum pede,  
Verbum lucerna pendens:  
Lumenq; dirigens viæ,  
Si lucifer resplendens,  
Est ortus hic,  
In corde sic,  
Donis homo potitur:  
Quæ Spiritus  
Credentibus  
Donanda pollicetur.

Mein Füssen ist dein heilges Wort/  
Ein brennende Lucerne /

Ein



Ein Licht das uns den Weg weist fort/  
So dieser Morgensterne/  
In uns aufgeht/  
So bald versteht  
Der Mensch die hohen Gaben /

Die Gottes Geist  
Den gewiß verheißt/  
Die Hoffnung darein haben.

Amen, in nomine Jesu, Amen.

## Feria III. Paschatos.

*Evangelium, Luc. 24. v. 36. -- 40.*

### EXORDIUM.

**C**Um Josephus Præposito pincernarum somnium interpretatus esset, quod post tres dies e carcere dimittendus, & in gradum pristinum restituendus foret, petebat ab eodem sui memor esse velit & suggere Pharaoni, ut educeret se de isto carcere, quia innocens in eundem missus esset. Verum succedentibus prosperis, *præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*, Gen. 40. v. 13. & seqq.

Hæc *mystice* applicabimus.

Cælestis Josephus, frater & Immanuel noster Jesus Christus, multa eaque magna beneficia nobis exhibuit, quoniam in sanguine Testamenti sui emisit nos de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. & vigloriosæ resurrectionis | suæ destruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem, 2. Tim. 1. vers. 10. hoc tantum beneficium est, quod in æternum dignerependere non possumus.

Quia vero natura *valde obliuiofissimus*, spiritualis mater nostra, quæ Ecclesia est, in usu habet, ut *non semel duntaxat* beneficium illud in memoriam revocet: sed plu-

res Evangelicos textus ordinavit, quæ fine tractantur, ut *memores simus*, Dominum Jesum Christum resurrexisse ex mortuis, 2. Tim. 2. v. 8.

Eo quoque collineat prælectum Evangelium, quod sine ulteriori præloquio agrediemur, meditaturi ex eodem:

I. *Ἀνθρῶπολογίαν*, sive *notitiam nostræ*.

II. *Χριστολογίαν*, sive *notitiam Christi*.

J.J.

### Exegetis.

**V**bi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, inquit Servator noster, Matth. 18. v. 20.

Hoc statim post resurrectionem suam implevit. Cum enim discipuli ejus in magno mœrore & perturbatione congregati essent, vespere Paschatos, & sermones de eo sererent, inopinato in *medio eorum* stetit, ut præfens Evangelium indicat.

*Notitiam nostræ* hic discemus, si spectemus:

1. *Amicam Christi salutationem*, ait enim:

Sss 3

Pax